

Processerunt itaque florentini et venientes prope civitatem castra locaverunt; non multis diebus elapsis de carcere supradictum nobilem extraentes. Reversi sunt itaque cum gaudio victoria, ob pietatem et bonam famam civitati parcentes. Anno millesimo centesimo septuagesimo (1). Versu habente locum.

Vir sapiens cernit, bona querens pessima spernit.

Item et quod legitur expectantes:

Si parcus parcis, grandis dominaberis arcis.

In reversione vero non pro victoria, sed pro victoria (2) dico, cum non debeat dici victoria, cum sibi subditis agere vel contendere, sed potius castigatio. Incepta est guerra cum castello quod Feghine dicitur, quod cum esset penitus inexpugnabile, vacillabat, iram civitatis emendo. Demum cum damno paruit, undique devastatum, morte dimissa: quoniam vita florentinis erat utilior. Nec resistere potest sub dominio vivens, et mortis et vite ipsorum plenissima potestate (3).

Annis paucis elapsis, cum senenses vellent sibi subicere terras nullo iure ad se pertinentes, venerunt domini de Asciano, aretini episcopatus, petentes se velle subicere florentinis. Ipsi vero acquisti facti a senensibus de Podiobonizi memores existentes, receperunt illud sub custodia, certis pactis appositis in contractu. Elapso tempore, timentes florentini, ne castrum illud per insultum vel aliter posset a senensibus occupari, illuc transmiserunt aciem militum pro custodia, et cum essent pro ipsius loci munitionibus laborantes, venerunt senenses obsessuri castrum, personarum et rerum dominari credentes. Quibus Florentie recitatis; cum florentini de acie militum quam transmiserant dubitarent, consilium est de itinere stabilitum et statuta die certa, eadem die iter arripuerunt: preparatis necessariis ad bellum, et non assumpto carrocio. Et cum appropinquassent loco, surgens consul dixit:

« Cum senenses per longa tempora graves et iniuriosi nobis in pluribus extitissent, inimicis nostris ubique prestando pro viribus patrocinium ac in episcopatu nostro acquirendo iura, nobis invitis: et modo conentur terram in alterius episcopatu sitam nobis subditam, occupare; et quod gravius est, sanguinem nostrum interficere, obsidendo: defendere nosmetipsos oportet, et sic offensas diu nobis illatas ulcisci, quod non relinquatur heredibus hereditas ultionis, et non blasphememur procedente tempore ab ipsis, vilitate personarum, laboribus vel expensis. Verumtamen cum simus hic in loco non apto sine magno dampno, recessu (sic: recessu), ne sit processus habilis nisi per ferrum; monemus vos plurimum et ortamur, ac vobis districte precipimus, quatenus, respicientes honores et dampna que contingere possunt, memores esse velitis nominis excellentis, cum audacia bellando, nec vacando ad tempus; et si vacare contingeret, nec propter continentiam vel otium, in bello dicamini negligentes, in idipsum citissime revertendo, ut laudabilem vitam pro aliis gentibus deferentes, victoriam

(1) Intorno a questo fatto de' florentini contro Arezzo non è parola nel Villani.

(2) Deve dire: *pro memoria*, come ripete più innanzi, quasi colle medesime parole.

(3) Anche della guerra di Figline, il Villani non fa memoria.